



1. *Musei s. Joh. diff. in Crist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

ARTICVLI
DE
PERSONA CHRIS-
TI REPETITIO
BREVIS

ἐν ἐκθέσει Αποστολικοῦ
ad Coloss. 2. ver. 9.

*In ipso habitat omnis plenitudo di-
vinitatis corporali. et.*

Suscepta in publico Academię Fran-
cofurtanę Acroaterio

CHRISTOPHORO PELARGO D.

Exercitij gratia respondente

M. IOHANNE MULLERO
Havelbergensi.

pridie calendarum Februarij.

Typis Andreae Eichornij Anno 1598.

MAGNIFICIS
Antiqua nobilitate, doctri-
nâ, prudentiâ, auctoritate, rerum cum
militarium tum etiam Politi-
carum usu

Præstantissimis, clarissimis, amplissimisq̃
VIRIS:

DN: IOHANNI A ROHRN
DN. IN FREIENSTEIN,
NEODOMI &c.

DN. IOHANNI A ROTKIRCHEN
CAPITANEO SANDOVIANO.

Dominis & Meccenatibus suis singula-
riter suspiciendis & observandis.

Dedicat & offert

M. Iohannes Mullerus Ha-
velbergensis Respondens.

THESIS PRIMA.



Vm salutis nostræ fundamentum non possit aliud poni ^{1. Cor. 3.} præter Christum IESVM; toties ^{ver. 1. 1.} profectò existimandi sumus in negotio religionis *θεμελιώσαμε* quoties de Christo sobriè meditamur, reverenter sentimus, piè loquimur, illud unum seriò agimus, ne quod *παράθεμελίον* sive Diabolica construat immanitas, sive humana recipiat temeritas.

II.

De Christo igitur Orthodoxam vicissim repetentibus Fidem allubescit explicationem suscipere Aphorismi Apostolici ad Coloss. 2. vers. 9. *ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.* In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: Vbi ordine consideranda occurrunt singula verba sive *πρὸς τὸ ἰσχυκείμενον*, sive *πρὸς τὸ κατηγορούμενον* sive *πρὸς διορισμὸν* referantur.

III.

I. EN ATTO.

Ac cum Apostolus, in ipso, ait, non nisi de Christo sermonem esse, antecedentia facilè confirmant, quibus moniti sunt Colossenses, ne verbis elegantibus abduci se patiantur à fide in Christum. Vocabulum certè *αὐτός* peculiarem quandam notat *ὑπόστασιν* aut personam: siquidem hic est *ἀναφορικὸν* personæ, cuius antecedens proximè versus mentionem fecerat, Christi videlicet, quem

A 2

αὐτὸς σιν

αὐτῶν ἐσσεῖν ἐπισημαίνομεν & αὐτόθεον: quicquid etiam hæreticis furor Satanae in contrarium suggesterit.

IV.

Damasc. lib. 3. cap. 3.

CHRISTI ipsum nomen personam verè subsistentem significat, & utramq; in hac naturam: ungentem & unctam, hoc est, divinitatem pariter & humanitatem: quemadmodum ex Gregorio Nazianzeno, Cyrillo & Athanasio eruditè probat Damascenus lib. 4. Orth. fid. cap. 6. ubi quærit, quando Filius DEI sit appellatus Christus, & concludit verbis Cyrilli: ὅτε γέγονε σαρξ ὁ λόγος, τότε καὶ ὠνομάσθη λέγομεν αὐτὸν χριστὸν. ἐπειδὴ γὰρ κέχρισται τῷ ἐλαίῳ τῆς ἀγαθιάσεως, ἥτοι τῷ ἁγίῳ πνεύματι παρὰ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, ταύτην τοὺν χριστὸς ὀνομάζεται: hoc est, quando Verbum caro factum, tunc appellatum dicimus ipsum Christum. Quia enim unctus est oleo lætitiæ sive Spiritu sancto à DEO Patre, idcirco Christus nominatus est.

V.

Orthodoxus cum Eraniste contendens 3. dial. apud Theodoret. ostendit necessarium planè constitui discrimen inter nomina & verba hæc: DEVS Verbum & Christus: τὸ γὰρ χριστὸς ὄνομα τὸν ἐνανθρωπήσαντα λόγον δηλοῖ: τὸ δὲ θεός, λόγος θεός, τὴν ἀπλήν φύσιν τὴν προκόσμιον: nomen Christus, Verbum incarnatum significat: sed Verbum DEVS naturam simplicem & æternam: & huius discriminis necessitatem confirmat exemplo. Sicut etiam Damascenus interesse inter has locutiones: Maria est θεοτόκος: & Maria est χριστοτόκος: priorem contra

contra hæreticos defensam, posteriorem non item
receptam declarat. 3. lib. c. 12.

VI.

περίσματα.

Ex qua subiecti consideratione hæc pro-
fluunt confectaria: 1. Christum non iuxta Marcio-
nitas, Manichæos aut Docetas phantasma aut
quiddam ἀνυπόστατον fuisse: sed verè personam sub-
sistentem nec eandem tamen cum Patre & Spiritu
sancto, ut Sabellianis & Patripassianis improbè
visum, sed distinctam: id quod ex eodem hoc ad
Coloss. cap. 2. ver. 2. facile demonstrari potest. De-
inde, non de ipso duntaxat ut simpliciter DEO, sed
de incarnato affirmari rectissimè, quod in ipso the-
sauri omnes scientiæ sint asconditi, quodq; omnis
in ipso habitet divinitatis plenitudo: contra eos,
qui quæ divina sunt tantum divinæ eius naturæ,
quæ humana, tantum naturæ eius ascribunt hu-
manæ διηρημένως, & non ἠνωμένως per ἀλλοίωσιν Cing-
lianam.

VII.

ΚΑΤΟΙΚΕΙ.

Inhabitandi verbum mysterio huic accom-
modatum differentiam tacitè complectitur duarū
naturarum, ex quibus alia est inhabitantis λόγος,
alia ἡ κατοικητήριος hoc est ipsius carnis: nec non i-
plam quoq; unionem astruit, quam veteres per τὸ
ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, (habitavit vel commoratus est in-
ter nos,) intelligi volunt ex 1. Iohan. ver. 14. Et sanè

Α 3,

μετὰ φθ.

Vide Chryso-
sto. & Theo-
phyl. in 1.
Ioh,

Iustinus
Martyr in
exposit. fidei
Damasc. lib.
3. orth. fid.
cap. 2. 26.

μεταφορικῶς simile quoddam hic propositum ostendunt ab anima in corpore habitante. Ita enim Oecumenius in 2. cap. ad Coloss. Non secus, inquit, quam in corpore habitat anima ita ὁ λόγος assumpto unitus est homini. Quo autem modo in corpore habitat anima? nec mixtim nec divisim. Sed anima in morte à corpore separatur: DEVS autem Verbum non iam amplius ex assumpta & propria facta carne. Vbi apertè indicatum vides, non nisi καὶ τὶ congruere exemplum, καὶ πάντα non esse ἀρμόδιον ut monuerunt Iustinus Martyr & Damascenus. ἀδύνατον γὰρ ἐν πᾶσιν ὁμοίον εὐρεῖν παρὰ δειγμα, ἐπίτε τῆς θεολογίας, ἐπίτε τῆς οἰκονομίας.

VIII.

Hinc usurpata videtur illa apud Damascenum ὀκείωσις quod Christus carnem nostram & naturales proprietates omnes suscepit: quam φυσικῶ & ὑσιώδη naturalem & essentialem, respectu alterius προσωπικῶς καὶ χεπικῶς lib. 3. cap. 25. Damasc. nominat.

IX.

Et emphaticè dictum κατοικεῖ non κατῶκησεν, quod verbum Matthæi 2. ver. 23. expressum: ut præsentī tempore innuat Apostolus unionem illam iam esse perpetuam sive ἀτελεύτητον: siquidem quam semel assumpsit carnem λόγος nunquam deserit: ob quam causam etiam unio facta legitur ἀδιαρέτως.

X.

Πορίσματα

Hinc

Hinc colligamus firmiter 1. nullam esse naturarum factam σύγχυσιν καὶ σύμμειξιν Eutychianam: siquidem perpetuum manet discrimen inter domicilium & habitatorem. 2. Sed nec ullam esse factam διαίρεσιν Nestorianam, cum nusquam sine templo suo, hoc est, sine carne sua sit λόγος inhabitans. 3. non esse παράστασιν live assistentiam Verbi iuxta carnem, sed potius quandam immanentiam, ut locuti veteres, & praesentiam verbi inhabitantis, arctiorem omnibus alijs praesentiae gradibus.

XI.

πάν πληρωμα τῆς θεότητος

Per omnem divinitatis plenitudinem intelligamus 1. naturam ipsam ὑπερανώτιον καὶ ὑπερέπιον omnia replentem Ierem. 23. ver. 24. deinde ιδιώματα aut proprietates eius essentiales, & 3. χαρίσματα quae Christo ὑπὲρ μέτρον collata sunt in tempore Ioh. 3. ver. 34. Esa. II. ver. 2.

XII.

Non enim pars saltem divinitatis est unita carni Christi, ut pars quaedam sit extra eam: sed tota divinitas toti humanitati arctissimè unita est *lib. 3. cap. 6.* ut iuxta Orthodoxam Damasceni fidem rectissimè dicamus πάνσιν καὶ τελείαν τὴν φύσιν τῆς θεότητος ἐνωθῆναι πᾶσιν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, καὶ ὁ μὲρ μέρει. Totus enim totum assumpsit, & totus toti unitus est, ut toti salutem donaret.

A 4

Quia

XIII.

Quia autem ὁλικῶς tota divinitas Carni Christi unita est: immò, quod evidentius dictum: tota Deitatis plenitudo habitat in carne eius: idcirco veteres iuxtaq; recentiores Theologi, non incommodè doctrinam de Communicatione Idiomatum inde astruxerunt, quam tribus inclusam esse gradibus nemini in sacris non hospiti, & à fide nostra non alieno, incognitum est: ita ut unus τὰ ἴδια naturarum: alter τὰ κοινὰ, tertius τὰ χαρίσματα describat carnis quam τῶν ἰδίων, aut οἰκείων ἀυχημάτων ὁ λόγος participem fecit, quæ & Θεωθεΐσα à Græcis Patribus Nazianz. Damasceno inde dicitur, non quod in naturam Deitatis transierit, sed quod gloriam & maiestatem τῇ κοινωνίᾳ consecuta sit.

XIV.

Fulgentius certè nobilis scriptor ex nostro hoc testimonio probat omnisciētiam animæ Christi tributam esse, cuius inter plura alia etiam verba hæc: Non existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam. cuius una est persona cum Verbo, quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit, quæ rerum omnium in tantum facta est domina, ut cum ipsa divinitate sua una sit in Trinitate persona. Vide reliqua ad quæstionem Ferrandi Diaconi tertiam: utrum anima Christi susceptricis Deitatis plenam habeat omnino notitiam.

Idem

XV.

Idem venustissimè & rectissimè: Sicut, inquit, in divinitate sua totam habet nativitat^s suæ naturam: sic in humanitate sua totam habet divinitatis suæ substantiam, totam maiestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam.

XVI.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

Vnde concludamus iterum *i.* λόγον non ambire saltem corpus velut extremis quibusdam lineis ac terminis: id quod inepta quorundā volunt similia de orbibus Planetarum, de mari urbē Venetam circumfluente, & quæ sunt ὁμοιώματα: sed intra Personæ suæ sublimitatem & complexum arctissimum carnem nostram suscepisse: ita ut verè dicamus ex Athanasij Symbolo, humanitatem assumptam esse εἰς θεόν. *II.* Illi per gratiam unionis omnia esse communicata, ac ditatam esse carnem divinis operationibus: sicut Damascenus locutus: ἡ δὲ κυρία σάοξ ἐπέλετῆσε τὰς θείας ἐργείας lib. 3. cap. 7. *III.* Ex plenitudine θεανθρώπου nos omnes accipere gratiam pro gratia Ioh. 1. ver. 16. & ipsum esse plenum gratia & veritate etiam respectu carnis Ioh. 1. v. 14.

XVII.

ΣΩΜΑΤΙΚΩΣ.

Quod verò determinatè adiectum est πρόσρη-

Α 5

μα,

μα, varijs à vetustate modis expositum est. Plæ-
riq; per essentiam reddiderunt, ut hæc inhabitatio
Deitatis in Christo discerneretur ab omni alia,
quæ de sanctis unquam dici potest.

XVIII.

In lib. de ve-
ra Innocen-
tia.

Augustinus, quia sæpè corpus umbræ opponi-
tur: particulam hæc corporaliter opponi existi-
mat, typis, figuris & umbris testamenti veteris.
Verba eius: Plenitudo divinitatis dicta est in
Christo corporaliter habitare: non quia divinitas
corpus est, sed quia Sacramentum veteris Testa-
menti appellantur umbræ futuri. Propter um-
brarum comparisonem corporaliter dicta est in
Christo plenitudo divinitatis habitare, quod in il-
lo impleantur omnia, quæ in ullis umbris figura-
ta sunt, ac si quodammodo umbrarum præceden-
tium ipse sit corpus, hoc est, figurarum & signifi-
cationum illarum ipsa sit veritas.

XIX.

Damasceus autem convenientissimè lib. 3.
cap. 6. τὸ σωματικὸς interpretatur ἐν σερικὶ αὐτῷ, à quo
non alienus est Oecumenius, qui reddidit incar-
natè. siquidem ἐνσάρκωσις describitur ipsa, hoc est
eiuscemodi Verbi & Carnis unio, ut quam ex nos-
tris assumpsit carnè, propriam sibi fecerit indissolu-
bili vinculo, modoq; toti naturæ impervestigabili.

XX.

Idèq; ad mentem Apostoli propius videtur ac-
cedere, qui ut confirmet discrimen inter Filium
Dei

Dei atq̄ alios sanctos non spiritualiter tantum & separabiliter, verum sic in Christo habitare ait de unitatem, ut cum corpore eius unita sit, cumq̄ ipso unam iam constituat ὑπόστασιν.

XXI.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

Vnde consequitur I. Aliam esse inhabitationem Dei personalem, aliam spiritualem, de qua DEVS apud Prophetas: Habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum DEVS: quod testimonium Paulus 2. ad Cor. 6. ver. 16. adduxit more suo ex pluribus scripturæ locis, veluti 34. Ezech. v. 7. Levit. 26. 12. Ezech. 37. 26.

II. Aliter nos esse κοινωνῆς θεῶν φύσεως 2. Pet. 1. ver. 4. aliter Christum.

III. Nullam esse naturarum διάσπασιν verum ubicunq̄ est deitas & λόγος: ibi esse eandem quoq̄ σωματικῶς live in & cum carne sua.

IV. Corporis Christi maiorem esse dignitatem quàm ulla consequatur ratio, propterea quod contineat, sine inclusione tamen, omne deitatis pleroma. Et idcirco nihil esse ei derogandum, nec splendori gloriae eius permiscendum esse nostræ naturæ atramentum. Ambros. lib. de Incar. dominica & lib. 4. de Fide cap. 1.

F I N I S.

Dei regis hanc non spiritualiter carum &
spiritualiter carum de re Christo habere an de
ventum in eum corpus eiusque sic, camp. l.
pro unum in dominum carum.

XXI.

NOTIZATA

Inde eorum quoniam hanc spiritualiter carum &
spiritualiter carum, hanc spiritualiter carum, de
Dei regis hanc non spiritualiter carum &
spiritualiter carum de re Christo habere an de
ventum in eum corpus eiusque sic, camp. l.
pro unum in dominum carum.

III. Indem de naturam hanc verum
substantiam deus & hanc: de eadem quod
essentive in hanc hanc.

IV. Corpore Christi ministerio deus
in hanc illa contentum ratio proprie quod
comitum, hanc inclinat tamen, omne deus
plurimum. Et hanc hanc de hanc hanc, hanc
identem gloria eius permittendum: hanc hanc
nunc hanc hanc. Ad hanc de hanc hanc
hanc & hanc de hanc hanc.

W I L



AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







15 16

ARTICVLI
DE
PERSONA CHRIS-
TI REPETITIO
BREVIS

ἐν ἐκδέσει Αφορισμοῦ Ἀποστολικοῦ
ad Coloss. 2. ver. 9.

*In ipso habitat omnis plenitudo di-
vinitatis corporaliter.*

Suscepta in publico Academię Fran-
cofurtanę Acroaterio

CHRISTOPHORO PELARGO D.

Exercitij gratia respondente

M. IOHANNE MULLERO
Havelbergensi.

pridie calendarum Februarij.

Typis Andreæ Eichornij Anno 1598.

